

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Obedientia

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

tus populus consistite istinc, ego & Jonathan con-
sistemus altrinsecus. *P.* Ut libet, facito. *J.* Iova
Deus Israelitarum age severe. Ducantur sortes.
At at, nos petit fors: alter nostrum sit oportet.
Sortiamur. *S.* O ho Jonathan fors indicat te.
Indica mihi quidnam feceris. *J.* Gustavi pau-
lulum mellis de capite hujus baculi, quem in-
manu habebam: quod tu, insciente me fieri ve-
tueras. Hoccine mihi capitale esse æquum est?
S. Deum ego juro, te moritum, Jonathan. *P.*
Ergo morietur Jonathan: qui tam præclaram vi-
ctoriam pepererit Israelitis? Nequaquam, per
Jovam immortalem: ne pilum quidem amittet,
qui hodie Deum sui facti adjutorem habuerit.

SENTENTIA.

*In hac vita unius peccatum luunt interdum mul-
ti: quia sunt unum corpus quasi, cuius membro-
rum omnium est tanta conjunctio atque cognatio,
ut sit eorum consensus, tum dolorum, tum volupta-
tum: præsertim, cum omnes sint peccatores. Sed
in altera vita, in qua punientur animæ, sui quis-
que, non alieni, peccati pœnas dabit.*

OBEDIENTIA. 1 Reg. 15.

ARGUMENTVM.

Samuel Saulum reprehendit, qui Ama-
lechitas clementius, quam Jova præceperat,
ultus fuerit.

F

Saulus,

Saulus, Samuel.

Jovam tibi propitium precor. ^{a)} Feci jussum
Jovæ. *Sam.* Quem ergo balatum & mugitum
audio? *S.* Oves sunt & capræ, & boves, quæ eni-
mam ab horum pecorum optimis quibusque necandis abstinuere milie-
tes, ut Jovæ Deo tuo sacrificium fieret. Reliqua
funditus excidimus. *Sam.* Licet ne mihi, bona
tua venia fiat, tibi significare, quid mihi Jova ha-
nocte dixerit? *S.* Licet. *Sam.* Nonne cum ve-
te judice parvus fueris, nunc princeps es tribuum
Israelitarum, unctus a Jova rex eorum? a quo
cum in hanc expeditionem missus sis, jussusque
sceleratos Amalechitas exscindere, & bello ad in-
teracionem persequi, cur ei dicto audiens non
fuisisti? teque ad prædam, vetante Jova, converti-
sti? *S.* Imo Jovæ parui, expeditionemque, ac
quam ab eo sum missus, confeci: & deletis Ama-
lechitis, Agagum eorum Regem abduxvi. Tantum
milites de manubiis pecora, bovesque devotorum
primitias, desuenserunt; quæ Jovæ Deo tuo im-
molarentur apud Galgala. *Sam.* Quasi vero Jova
tani placeant hostiæ & sacrificia, quam ejus dicto
audientem esse. Scito obedientiam præstantio-
rem esse sacrificio, & obtemperationem adipi-
arietum. Nam non parendi peccatum perinde
est, ac magia: & contumacem esse eadem in culpa
ponitur; & ^{b)} quia Jovæ mandatum repudiasi,

^{a)} Ex parte obedire, non obedire est. Fecerat ille qui-
dem partem, sed non omnia.

^{b)} Qui Dei præcepta repudiant, hoc est, non exequun-
tur, ⁱⁱ a Deo vicissim repudiantur.



ipse de vicissim regno exuet. *S.* Peccavi, quod contra Jovæ jussum, contraque tua dicta fecerim, milites veritus, eisque obsequutus. Sed da mihi quæso hanc veniam, ut mecum revertare, ut Jovam adorem. *Sam.* Non revertar tecum, qui Jovæ mandatum aspernatus sis, & idcirco ab eo abdicatus regno Israelitarum. Vale! *S.* At non patiar te abire, ut non me comiteris. *Sam.* Quid me retines? ah! rupisti meum pallium, & Jova hodie Israelitarum regnum a te abrumpit, idque alteri te meliori tradit. Neque vero fallet Israelitarum triumphator, neque factum mutabit: non enim homo est, ut factum mutet. *S.* Fateor peccatum a me esse. Sed concede mihi hunc honorem apud senatores meorum popularium, apudque Israelitas: ut mecum redeas, Jovam Deum tuum adoraturo. *Sam.* Age, age, præi, sequar.

SENTENTIA.

Nihil placet Deo, quod ejus præcepto aontrarium est, etiamsi bona alioquin animo fiat. Debet enim bono Deo (sicut servus hero, aut filius patri) servire non suo, sed illius arbitrio.

GOLIATHVS. I Reg. 17.

ARGUMENTVM.

David a Saulo impetrat, ut liceat cum Goliatho pugnare, & illum cum funda & pedo aggressus occidit.

David, Eliabu, Goliathus, Israelitæ quidam.

Alius Isr. Nuncius, Saulus.

Salvete mei fratres optimi. *E.* Deus det quæ velis,

